



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LI. Quid August. & Bernard. sentiant de gognitione creaturarum in
verbo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

ad ipsos sunt, alia distincta cognitione, quam verbum videri: ac proinde necessarium non esse, ab initio omnia simulab eo cognosci. Quod si eadem visione cum verbo viderentur, non possent decoru temporis cognosci, nisi mutatio aliqua in ipsa visione fieret, vt cap. 7. probatum est. Imo, vt ibidem diximus, accidere posset, vt qui plura merita haberet, aliquando minus Deum videret si pauciora singularia sint, quæ ad statum illius pertinent, vt in Anachoreta aliquo contingere posset. Nam ad videndum plura indiuidua ex vi visionis Dei oporteret ipsam visionem perfectiorem esse: nam si eiusdem perfectionis esset, non posset in diuersis esse causa cognoscendi diuersa: hoc autem etiam sequitur contra Caiet. qui dicit, quæ initio beatitudinis præsentia sunt, in verbo ex vi visionis illius à Beato cognosci: quæ vero sunt futura, peculiari aliqua reuelatione successu temporis videri. Fieri enim potest, vt ad statum alicuius, qui pauciora merita habet, plura indiuidua pertineant tunc, quando incipit esse beatus: ergo tunc plura videbit ex vi visionis, quæ verbum videt, ac proinde ipsum verbum perfectius intuebitur.

Respondent aliqui Thomistæ non esse necessarium, quo plura in verbo videntur, eo perfectius verbum videri, nisi illa, quæ videntur, si esse differant: quia cognitio singularium ad perfectionem intellectus non pertinet: & de illis tantum existimant dixisse S. Thom. 3. par. quæst. 1. c. art. 2. quo plura cognoscuntur in verbo, eo etiam verbum ipsum perfectius videri. Hoc tamen ridiculum est. Primum, quoniam S. Doctor in eo art. non solum de speciebus, sed etiam de indiuiduis futuris cogitationibus, & orationibus, pertinentibus ad statum Beati loquebatur: & dixit, eo plura à Beato videri, quo perfectius verbum videt: proculdubio de ijs intelligens, quæ in exemplum adduxit. Tum etiam, quia ad naturale desiderium, & perfectionem intellectus pertinet, non solum cognoscere species, sed etiam indiuidua, vt cap. 7. probatum est. Ad hæc, si indiuidua in verbo eadem visione, & ex vi illius videntur: necesse est, quo plura cognoscuntur verbum ipsum perfectius videri. Nam si in duobus æque perfecta est visio, non potest esse in vno causa videndi plura, aut diuersa, quam alius cognoscit. Vt igitur hæc omnia in commoda fugiamus, multo melius est asserere nihil, nec futurum, nec possibile in verbo videri ex vi visionis illius, vt Thomistæ contendunt, sed alia visione, & reuelatione peculiari cognosci.

Cæterum obijciunt aliqui, nisi Beatus à principio suæ beatitudinis, & simul omnia cognosceret, deberemus nos à Deo petere, vt nostras orationes Beatis reuelaret: id autem non consequitur Ecclesia: signum igitur est Ecclesiam sibi habere persuasum, hæc omnia ab initio beatitudinis à Beatis videri. Respondeo, ideo Ecclesiam non postulare à Deo, quia iam certo sibi persuadet, hæc omnia nota esse Beatis hac, aut illa certissima via: nec id villo modo ex nostris orationibus pendere: quocirca non est necesse dicere, hæc omnia nota esse Beatis ab initio beatitudinis.

Porro autem hæc omnia videri à Beatis, præter citatos Scholasticos docet Augustin. libr. de cura pro mortuis agenda, cap. 15. & Hieron. lib. contra Vigilantium, Gregor. lib. 12. Moral. cap. 12. in illud Job cap. 12. Roborasti eum paululum. Variant tamen in modo: Augustinum

rum Beatorum animæ ista cognoscant. Hieron. vero, eo quod ipsæ animæ mira quadam celeritate naturæ præsto sint vbique: sed cum præsentia secundum locum parum faciat ad cognitionem spirituales, quæ non fit per sensus: frustra hanc causam assignat. Gregorius non definit modum, quo ea cognoscantur. Denique Scholastici etiam, vt retulimus, variant: ex quibus omnibus illum modum peculiarem elegimus, quem paulò ante diximus.

DISPUTATIO LI.

Quid Augustinus, & Bernardus sentiant de cognitione creaturarum in verbo.

Scholasticorum varia opiniones de mente Augustini interpretanda, cap. 1.

Vera sententia Augustini interpretatio, cap. 2.

Posterior pars predictæ sententiæ prolatur, cap. 3.

Oppositiones contra posteriorem partem, cap. 4.

CAPVT I.

Scholasticorum varia opiniones de mente Augustini interpretanda.

Occasione eius diuisionis, quam sæpius repetit Augustinus in suis libris, cognitionis videlicet matutinæ, & vespertinæ, quibus docet Angelos præditos fuisse, introductus fuit inter Scholasticos hic modus loquendi, quo communiter asserimus, creaturas in Deo, aut in verbo à Beatis cognosci. Verum neque eodem modo omnes docent creaturas in verbo videri, vt superiori disp. vidimus, neque mentem Augustini in eundem sensum interpretantur: quomodo autem Scholastici sentiant, creaturas à Beatis in verbo videri, iam satis à nobis dictum est: reliquum est, vt de modo, quo ipsi Augustinum interpretantur, aliquid in hac disp. dicamus: ex quo etiam colligere poterimus, Augustini, & Bernardi sententiam opinionem nostram, quam præcedenti disp. exposuimus, nullo modo aduersari. In hoc igitur capite varios modos interpretandi August. enumerabimus: in sequentibus vero germanam eius interpretationem ex verbis ipsius deducemus.

Primus igitur modus distinguendi in Augustino has duas cognitiones fit Alberti 2. par. Summa diu exponens tract. 4. q. 14. memb. 3. artic. 2. p. 2. in corpore, & in quæst. incidenti. Aegidij in 2. d. 13. q. 1. artic. 3. dub. 3. qui dicunt, cognitionem matutinam non esse ipsam claram Dei visionem, sed naturalem cognitionem de Deo, qua Angeli, & homines ipsum cognoscunt, vt omnium rerum auctorem, & principium. Addunt deinde sumpta metaphora diei duas alias cognitiones, vespertinam scilicet, quæ cognoscuntur creaturæ, & meridianam, quam supernaturalem vocant: nec satis explicant, an hæc ut visio essentis diuinæ, vel etiam creaturarum. Verum si de explicanda mente Augustini solum agamus, hæc sententia nullam in ipso fundamentum habere potest. Capite enim sequenti ostendemus, matutinam in Augustino esse claram Dei visionem, non naturalem notitiam, quam de ipso, vt est rerum omnium auctor, habere possumus. Neque in Augustino meridianam cognitionem à matutina, & vespertina oportet distinguere.

Secundus

Secundus
modus.
Bonavent.
Ricardus.

Secundus modus est Bonavent. in 2. d. 4. ar. 3. q. 1. & 2. & Ricard. art. 4. q. 1. & 2. qui docent, bifariam dici posse matutinam cognitionem. Primum claram Dei visionem, qua Deus ipse videtur, & creatura in illo: deinde ipsammet creaturarum cognitionem claram per species inditas, qua mens eleuatur in Dei considerationem, & laudem. Addit tertiam Ricardus, quam ipse improprie matutinam appellat: nempe rerum ipsarum in se per species innatas, absque eo, quod mens assurgat in laudem creatoris. Hoc docent in 1. quæst. in secunda vero vespertinam appellant, cognitionem ipsarum creaturarum in proprio genere. Sed præterquam quod hoc pacto secundum Ricardum non potest in Angelis bene distingui vespertina à matutina, nisi dicamus matutinam tertio modo, quæ improprie matutina dicitur, esse proprie vespertinam; sequenti capite plane ostendemus, eam non esse mentem Beati Augustini. Quod vero asserunt de visione creaturarum in verbo, eodem modo accipiendum est, quo eorum sententias præcedenti disputatione retulimus: quomodo scilicet ex vi visionis, vel sola Dei voluntate in verbo videantur.

Excluditur.

August.

3
Tertius mo-
dus.
Scotus.

Tertius modus est Scoti in 2. d. 3. q. 9. §. Ad questionem, versiculo, Tertio persuadetur, aliter, dupliciter quoque ab Augustino usurpari visionem, aut cognitionem matutinam. Primum, pro ipsa visione essentia diuinæ, & creaturarum in ipsa, quas tamen putat non videri ex vi talis visionis, ut superiori disp. ex mente ipsius explicatum est: præterea pro cognitione quidditatiua, & propria ipsius Dei, quæ inferior quidem est intuitiua, & superior est cognitione per alienas species, quam viatores de Deo habent. Verum, ut sequenti cap. monstrabimus, Augustinus solum matutinam appellauit claram, & intuitiuam Dei visionem. An vero intellegat visionem etiam creaturarum in ipso Deo, & qua ratione, ibidem exponendum est. Accedit quod ut disp. 135. cap. 3. probabitur, commentitia est visio illa quidditatiua Dei, quam Scotus committitur, nec eam dari posse, etiam secundum potentiam Dei absolutam, manifestum erit.

Reprobatur.

Scoti argu-
mentum.

4

Solutio.

Sed Scotus probat suam opinionem ex illa sententia Augustini, quæ vulgo circumfertur, quia Angeli prius habuerunt matutinam, quam vespertinam cognitionem, ut ita dies illi Genes. 1. congrue distinguantur in mane, & vespere iuxta eiusdem Augustini subtilitatem: atqui non habuerunt omnes claram, & intuitiuam visionem: ergo necesse est aliam visionem appellari matutinam: nulla vero est, quæ commodius matutina dicitur, quam illa media cognitio, quam diximus: recte igitur & illa matutina vocatur. Cæterum ut seq. cap. videbimus, cum ipsam intuitiuam Dei visionem Augustinus appelleret matutinam, & diceret esse priorem vespertina: non colligit bene Scotus id, quod contendit, imo ipse quoque debet, sicut & nos, August. interpretari. Adde quod August. ita clare se explicat, ut nullum dubitationi locum relinquit.

Quartus
modus.
S. Thomas.
Caietanus.

Quarto S. Thom. infra q. 58. art. 6. & 7. & Caietanus in Commentarijs, vespertinam cognitionem appellant, quam beati de creaturis habent in proprio genere, hoc est, per species earum proprias: matutinam vero earundem in essentia Dei, non secundum proprias earum rationes formales, sed secundum quod in Deo sunt ipsa vita Dei, Ha-

autem cognitio creaturarum in verbo clare viso colligi videtur ex Alexand. 2. p. q. 23. præcipue vero membr. 6. qua ratione docet, daemones non habuisse matutinam cognitionem. Hæc sane est doctrina S. Thomæ eo loco, tametsi in hac 1. part. q. 62. artic. 1. ad 3. concedat quoque matutinam cognitionem in viatoribus Angelis, quares in verbo naturali cognitione cognouerunt, quatenus ex le ipsis veluti ex effectu quodam & specie, Deum ipsum nouerunt, & in ipso ceteras creaturas: & hanc putat esse mentem August. lib. 4. de Genes. ad litteram. c. 3. & 22. & lib. 5. c. 5. cum distinguit sex dies a principio mundi per mane, & vespere intellectu Angelici.

Denique recentiores Thomistæ aliter interpretantur mentem August. & S. Thom. asserunt enim matutinam cognitionem esse creaturarum in verbo, qua cognoscuntur ex vi visionis verbi secundum proprias ipsarum rationes formales, non quatenus in Deo dicuntur esse ipse Deus secundum rationem ipsius Dei; qua ratione omnia in ipso dicuntur vitam habere. Vespertinam vero cognitionem, dicunt esse illam, qua creatura cognoscuntur secundum proprias rationes formales, non eadem visione, qua videtur essentia diuina, nec ex vi illius, sed per species proprias illarum infusas, vel acquisitas. De hac vero sententia Thomistarum quatenus aliter, ex vi visionis essentia Dei in ipso creaturas videri secundum ipsarum proprias rationes formales, præcedenti disputatione satis dictum est. Id vero quod asserit, in interpretanda mente Aug. cap. seq. ex ipso met August. perspicue impugnabitur: ubi etiam simul ostendimus, ceteros quoque Scholasticos, excepto Alexandro, & S. Th. mentem Augustini non fuisse assecutos.

CAPVT II.

Vera sententia Augustini interpretatio.

Ma Ea quidem sententia in explicanda mente Augustini longe diuersa est, quam ex locis expressis ipsius perspicue deducam. Ea vero in duobus consistit, vnum est utramque cognitionem vespertinam, & matutinam solum in beatis Angelis distingui, nusquam vero in viatoribus hominibus, aut etiam Angelis: in quo cum Alexandro & multis S. Thomæ discipulis consensio. Alterum est cognitionem matutinam non appellari ab Augustino, quam beati habent de creaturis secundum ipsarum proprias rationes formales creatas, siue illæ videantur in proprio genere, & per proprias species, siue in essentia diuina ex vi visionis illius, vel alia ratione: sed esse cognitionem creaturarum, secundum quod in Deo sunt, ipsa vita Dei, & esse ipsarum incommutabile vespertinam vero esse ipsarummet noticiam secundum proprias rationes. His duabus propositionibus tota nostra sententia continetur, ex quibus prior in hoc cap. nobis probanda est, & si quid ex eodem Augustino contra eandem opponi potest explicandum.

Prior igitur pars ex his locis eiusdem August. colligitur lib. 11. de ciuit. Dei, c. 7. in beatis Angelis plane assignat mane visioni Dei, vespere autem cognitioni creaturarum, & cap. 29. cum dixisset Angelos non discere per verba sonantia, quid sit Deus, sed per ipsius præsentiam, quod plane de visione

Alexand.

5

Quintus
modus.

August.

Matutina &

cognitio, &

vespertina

quid sit, &

in quibus.

6

Alexand.

Vespere &

mane tam-

tum in co-

gnitione be-

atorum assen-

sione

visione ipsius clara intelligit: illico subiungit: *ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in se ipsis, tanquam in vespertina, sicut supra iam diximus, (scilicet seipsos agnoscunt) & lib. 6. q. 26. cum asserit creaturam in Deo cognitam esse mane, & in seipsa vespertum, quibus duobus dies constituitur, non video, quomodo nisi de beatis intelligi possit. Id vero aper- tissime tradit 4. de Genes. ad litteram, à cap. 21. vsque ad 32. sicut libenter fatetur Scotus: in cap. vero: 9. sic ait: Nunquid tamen dicit, aut si dixerit quisquam, au- diendus est, illam cœlestem in Angelorum millibus ciuitatem aut non contemplari creatoris æternitatem, aut mutabilita- tem ignorare creaturæ, aut ex eius inferiori quadam cog- nitione non laudare creatorem: simul hoc totum possint, simul hoc totum faciant: possunt tamen, & faciunt: simul ergo habent, & diem, & vespertum, & mane. Legatur cap. 24. ubi etiam perspicue id ipsum docuit.*

Verum contra hanc interpretationem senten- tiæ Aug. videtur esse ipsemet Aug. qui multis in locis asserit, priorem esse cognitionem matuti- nam, quam vespertinam, primum lib. 6. q. 26. illa 26. dicit manere esse cognitionem creaturæ in verbo, vespertum autem cognitionem creaturæ in seipsa. Reddit vero rationem his verbis: *Quia prius videtur ipsa creatura in verbo, quam in seipsa.* Deinde 4. de Gene- cap. 24. 31. & 32. idem docet: ait vero in illo c. 32. *Mens vero Angelica pura caritate inherens verbo Dei, pos- teaquam illo ordine creata est, ut præcederet cætera, prius ea vidit in verbo Dei faciendam, quam facta sunt, ac si prius in eius se habent cognitione, cum Deus dicebat, ut fieret. Qui- bus locis plane docet, priorem fuisse in Angelo cognitionem matutinam, quam vespertinam: ac- qui Angeli non fuerunt creati in beatitudine, sed viatores, ut omnes Scholastici fatentur, & nos lat- tius dicemus infra disput. 226. ergo August. sensis, cognitionem matutinam non esse claram Dei vi- sionem. His testimonijs vtitur Scotus, ut probet matutinam cognitionem esse illam quidditatuam Dei inferiorem ipsa intuitiva.*

Respondeo, illud prius in Augustino non esse temporis, sed ordinis, & dignitatis: id quod ex ipso met Augustino clarissime mihi video colligere. Primum ex c. 30. illius lib. 4. de Genes. ad li- teram, ubi asserit, hanc esse differentiam inter diem nostrum temporalem ex Sole visibili, & in- tellectuale secundum Angelicæ cognitionis lu- cem, & vespertum: quod nobis temporaliter non simul adest dies, mane, & vespertim, sed Angelis in patria semper sunt hæc omnia præsentia. Nec vespertim aduenit recessu lucis matutinæ, & diurnæ, sed simul est cum illa: intelligit sane simul dura- tionem: ergo cum ait alijs in locis priorem esse co- gnitionem matutinam, debet intelligi non dura- tionem, sed dignitatem, & ordinem.

Hoc ipsum multo clarius tradit c. 32. illius libri, ubi sic ait: *Ac per hoc etiam si nulla hic morarum tempora- lium sint intervalla, præcessit ratio condenda creaturæ in verbo Dei, cum dixit, fiat lux: & cap. 34. de eiusdem co- gnitionibus vespertina scilicet, & matutina, sic in- quit: Sed in his rebus quid prius sit, & posterius, intervalla temporum non demonstrant. Explicat exemplo oculi corporei, qui simul tempore videt Solem orien- tem, & spatium interiectum: ordine tamen prius videt spatium. Sed observandum est, cum dicimus matutinam cognitionem ordine quodam esse pri- orem, non mora temporis, non esse intelligendum de ordine causalitatis: nam quamvis aliqui Theo- logi, ut vidimus disputatione præcedenti, dicant,*

Vasquez in 1. part. Tomus I.

visionem Dei esse causam videndi in ipso creatu- ras secundum proprias ipsarum rationes: nullus tamen dixit, cognitionem matutinam esse causam vespertinæ. Intelligi ergo debet doctrina Aug. de ordine quodam dignitatis, & excellentiæ: nam quod dignius est, dicitur quoque prius, teste Arist. in prædicamentis cap. de modis prioris. Et quamvis in ex- emplo oculi, quod Augustinus adduxit, spatium non videatur prius ordine dignitatis, quam Sol: sed solum ordine situs, qui attenditur secundum aliud genus prioris, & posterioris, ut constat ex Arist. eod. cap. & nequit esse inter cognitionem matutinam, & vespertinam: ad hoc tamen solum deseruit exemplum, ut intelligamus, inter eas non esse aliquam durationem priorem, sed tantum or- dinem: sicut visio spatij, non est tempore prior, quam visio Solis; tamen si ordo ille prioris, & pos- terioris diuersa omnino rationis sit in vno, quam in alio.

Hunc vero ordinem dignitatis, & perfectionis optime indicauit idem August. lib. 6. q. 26. illa 26. his verbis: *Quia prius videtur ipsa creatura in Deo, quam in seipsa videatur, ideo creatura prius videtur in arte, qua facta est, quam ipsa in seipsa, qua facta est.* Vbi idem putat esse, prius videri, atque plus, seu perfectius videri. Idem colligitur ex doctrina eiusdem, quam tradit libro illo 4. de Genes. ad lit. cap. 32. cum asserit Angelum eo ordine creatum, ut præcederet cætera, cum ta- men constet ex eius sententia, quam referemus dis- put. 224. simul cum creatura corporea conditum fuisse: præsertim cum ipse putet vno die, & mo- mento temporis, omnia esse à Deo præducta, & dies illos Genes. 1. enumeratos spiritualiter solum ipse intelligat ergo cum ait, Angelum in sui crea- tione cætera præcessisse, intelligit dignitate, sicut B. hemoth dicitur *Principium viarum Dei*, non tem- pore, sed dignitate: ut infra disputatione 224. cap. 2. explicabimus.

Secundo contra eandem interpretationem ob- iici solet hæc ratio. Si dies distinguuntur in Gene- si ex sententia Aug. secundum cognitionem, & vnusquisque dicitur constare duabus illis cog- nitionibus matutina videlicet, & vespertina; oportet in via Angelorum, antequam essent beati, utramque assignare: nam cum creati fuerint cum omnibus alijs rebus nondum beati, & in ipsorum cog- nitione illi 7. dies debeant assignari efficitur ut antea- quam fuissent beati, habere debuerint & matuti- nam, & vespertinam cognitionem. Hoc argumen- to conuictus S. Tho. infra q. 62. ar. 1. ad 3. concedit, in Angelis ante beatitudinem fuisse quandam matu- tinam cognitionem, & vespertinam, qua etiam res in verbo viatores Angeli cognoscere dicebantur: ut hac ratione distinguantur dies ex mente Aug. sed eam appellat improprie matutinam, proprie vero, quæ est in verbo clare visio.

Ego vero puto, nusquam August. aliam appel- lasse matutinam, quam claram visionem Dei, ut ex locis citatis satis appareat. Quare respondeo ad ra- tionem, cum in sententia August. dies metapho- rice intelligantur, & idem sit sex diebus ceterum esse vniuersum, atque illarum rerum genera, quæ Deus creasse dicitur, fuisse ab Angelo matutina, & vespertina cognitione cognita; nihil obstat, quo minus assignentur secundum cognitionem pa- triæ, quæ in Angelis fuit tempore posterior ipsa creatione mundi.

Numerus vero dierum iuxta hanc Augustini metaphoram,

August.

Tob. 40.

*Secundo op-
ponitur ra-
tio.*

*S. Thoma
responsio.*

*Respondetur
aliter.*

August.

*Matutina
cognitio, ves-
pertinam
præcedit di-
gnitate non
tempore, aut
causalitate.*

Septem dies
creationis
ex cognitione
matutina, &
vespertina
numerantur.

metaphoram, ex doctrina eiusdem locis citatis præsertim q. illa 16. & 11. de Civit. cap. 7. hoc modo numerantur. Primus dies, quo creata dicitur lux, est cognitio Angelicæ naturæ, quæ luci comparatur, & cæteris dignitate prior est. Hic vero dies constituitur ex matutina, & vespertina cognitione, quia Angelus seipsum novit duobus illis modis. Secundus dies est cognitio firmamenti, eisdem duobus cognitionibus constans, & sic de alijs.

CAPVT III.

Posterior pars prædictæ sententiæ probatur.

August.
Cogniti matu-
rina crea-
turarum non
est illarum
formaliter.

Ioan. 1.
S. Thom. 18.

Primum Au-
gustinus testi-
monium.

13

Posterior pars huius nostræ sententiæ non minus perspicue ex eodem Aug. probari potest. Ea vero est, matutinam cognitionem creaturarum esse ipsam divinæ essentiae visionem, & eorum tantum, quæ formaliter sunt in ipso Deo, atque adeo ipsarum creaturarum, quatenus in Deo dicuntur habere esse, & vitam ipsius, non secundum proprias earum rationes creatas, & corruptibiles. In quem sensum explicat ipse illud *Quod factum est, in ipso vita erat* tract. 1. in Ioan. & S. Thom. infra quest. 18. art. 4. vespertinam vero esse aliam cognitionem distinctam ab ipsa visione Dei, quæ creaturæ per proprias species, & secundum proprias rationes formales cognoscuntur. Porro matutinam non esse creaturarum secundum earum rationes formales, aperte docuit S. Th. quem in hac parte sequor, & constat ex aliquibus Aug. testimonijs. Primum est 1. lib. de Civit. Dei, cap. 7. vbi sic ait: *Fit tamen vespertina huius diei, & mane aliquatenus: quoniam scientia creata in comparatione creatoris quodammodo vespertina.* Quibus verbis non distinguit August. mane, & vespertinam ex diverso modo cognoscendi, sicut Theologi nostri communiter, excepto S. Th. distinguunt: nempe mane, quia videntur creaturæ in verbo, hoc est, eadem cum ipso visione: vespertinam autem, quia videntur in proprio genere, hoc est, per proprias species, sed Aug. distinguit ex parte rei cognitæ. Nam scientiam Dei appellat mane, & scientiam creaturarum vespertinam: non dixit scientiam creaturarum in verbo, sed scientiam Dei esse mane: quod vero statim adiunxit, scientiam creaturæ lucefcere, & fieri mane, cum ipsa refertur ad eandem, & dilectionem creatoris, cap. 4. explicandum est.

Secundum
testimonium.

14

Secundum testimonium est eodem lib. cap. 29. vbi, ut ostendat alio modo res in verbo videri, quam in seipsis, ex quo aduersarij colligunt duas illas cognitiones creaturarum, matutinam videlicet, & vespertinam, sic inquit: *Sicut aliter scitur relictulo linearum, seu veritas figurarum, cum intellectu conspiciuntur, aliter cum in pulvere scribuntur: ac si dicat, in intellectu est vndequeque perfecta, cum vero re ipsa describitur, præsertim in pulvere, non potest sine aliquo defectu esse.* Sicigitur res in intellectu Dei sunt incorruptibiles, at in seipsis corruptioni subiectæ. Subiungit deinde. *Et aliter iustitia describitur in veritate incommutabili, aliter in anima iustitia: certe non alia ratione id dixit Aug. nisi quia iustitiæ idea, & ars, quæ in Deo est, ipsæmet Deus incommutabilis est, in seipsa vero peccatis potest corrumpi.* Quod si Aug. loqueretur de rebus in Deo tantum obiectivè existentibus secundum proprias rationes formales, non diceret alio modo in Deo esse, quam in seipsis: nam à Deo cognoscuntur, sicut sunt à parte rei mutationi, & corru-

ptioni subiectæ: loquitur igitur de ipsis, prout in Deo sunt ipse Deus, nempe de idea, & arte illarum, quæ est reuera ipse Deus.

Tertium est lib. 65. quest. q. 16. vbi de matutina cognitione loquens, ut ostendat melius creaturam videri in Deo, & in arte sua, quam in seipsa, adducit illud Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat:* subiungit vero hæc verba: *Omnia ergo, quæ facta sunt in ipso, & vitam non habent, in ipso verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt.* Unde inferat statim, ac per hoc ipsi videntur ab Angelis sanctis in verbo Dei, vbi sunt vita, quam in seipsis. Quod si ex sententia Aug. eo loco, videntur res in verbo secundum proprias rationes, fieri non posset, ut non videntur, sicut lapis, videntur vivere, & corruptibilia incorruptibilia esse: signum igitur est, loqui Aug. de ipsamet essentia divina, quatenus dicitur idea, & ars creaturarum, quæ est ipse Deus, & viso Deo videtur, de quo non est nobis præsens controuersia: & hac ratione melius videntur creaturæ in Deo, quam in seipsis: non quod melius cognoscatur propria earum natura, sed quod eo modo melius esse, & perfectius habeant, quam in seipsis. Hoc ipsum late ipse Augustinus profequitur tract. 1. in Ioan. in illa verba: *Quod factum est, in ipso vita erat.* vbi contra Manichæum probat, lapidem non vivere, ut ipse dicebat deceptus verbis Ioannis, sed vivere ideam lapidis, quæ est ipse Deus: ergo hoc modo dicit, res in Deo multo melius esse, hoc est, illarum ideam, quæ est ipsa essentia divina, melius esse.

Quartum testimonium est in libro 83. questionum, quest. 46. vbi de idæis mentis divinæ fustis disputat, & eas his verbis definit: *Sunt namque idææ principales forme quedam, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsa formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur.* Has igitur inquit à Beatiss. videri: hæc autem cum increatæ sint, & incorruptibiles, sunt ipse Deus, non creaturæ, etiam secundum esse obiectivum, quod in mente divina habent: creaturæ namque etiam in mente divina obiectivè existentes, sunt corruptioni subiectæ, hoc est, Deo obijciuntur, sicut re ipsa sunt: quare si in re corrumpuntur, à Deo hoc modo cognoscuntur.

Quocirca non possumus, non mirari Thomistas, qui ex his omnibus locis, aut eorum aliquibus colligunt, contra Scotum, Gabriel. & alios, idæas in deo rerum creaturarum non esse res ipsas obiectivè existentes in intellectu secundum proprias earum rationes formales, sed esse ipsam essentiam Dei, quatenus eas repræsentat, & quatenus est ars earum: quod utrum verum sit, an non, dicemus disputatione 72. capite 2. Ex eisdem vero locis sui non memores, ut oportebat, probant, creaturas in Deo videri ex vi visionis, non tantum secundum quod habent in Deo vitam Dei, sed etiam secundum suas proprias rationes formales.

Et quidem S. Thom. infra quest. 18. art. 4. ad 1. iuxta hanc Augustini doctrinam asserit, omnia, quæ sunt in Deo, ut in cognoscere, vivere in ipso, quia non sunt aliud ab eius essentia. Cum vero dicit esse in Deo per proprias rationes, intelligit per idæas: nam si de ratione formali cuiusque creaturæ loqueretur, ut de homine, secundum quod est animal rationale, non posset dicere omnia creatura in Deo vitam habere, quoniam hoc modo res dicuntur

15
Quomodo
creatura me-
lior in Deo,
quam in se-
ipsis videtur.

16
Quartum
testimonium
Augustini.

16
Idæa crea-
turarum in
Deo sunt,
ipse Deus.

Scotus
Gabr.

Cur dicat
S. Thomas
creaturas esse
in Deo per
rationes proprias

dicuntur esse in Deo obiectiue tantum, nec sunt idem cum essentia diuina, nec viuunt vita Dei: ergo cum alijs creaturas prout sunt in Deo, vt cognoscant, viuere vita Dei, non intelligit prout sunt obiectiue tantum in ipso, sed secundum ideas ipsarum, quæ sunt ipsa Dei essentia, de quibus disput. 72. folius differendum est.

Ex his suspicari posset aliquis, cum S. Thom. dicere videtur, creaturas cognosci in verbo ex vi visionis, loqui de creaturis hoc modo, quatenus in Deo sunt vita ipsius Dei. At hoc constare non potest cum eo, quod ipse ait, nempe eo plures in verbo creaturas videri, quo melius essentia ipsa videtur: quod verum esse non potest, nisi de creaturis obiectiue tantum in Deo existentibus: nam de ipsis, vt sunt essentia diuina, & vita ipsius Dei, vnus non videt plures, quam alius, siquidem in essentia idem ipsum vnus intrinsecus, quod alius. Aug. vero nusquam docuit, eo plures creaturas in verbo Dei videri, quo melius ipsa essentia videtur.

Quintum, & optimum testimonium Aug. est 4. de Gen. ad lit. c. 22. post medium, vbi plane assignat differentiam inter vespertinam, & matutinam cognitionem eo modo, quo à nobis initio capitis assignata est Verba Aug. sunt: Facta est vespere, quia necessaria erat, & ita cognitio, qua distingueretur à creatore creatura, aliter in seipsa cognita, quam in illo. Ex quibus perspicue colligitur, secundum mentem Aug. per solam matutinam cognitionem non potuisse distinguere sufficienter creatorem à creatura. At si cognitione matutina creaturæ in verbo cognoscebatur secundum proprias rationes formales creatas, vt quod esset homo animal rationale, & sic de alijs, ad hoc necessaria non erat vespertina, vt intellectus beati creaturas à creatore discerneret. Si vero matutina nihil aliud erat, quam cognitio ipsiusmet essentia diuinæ, quæ est ars omnium creaturarum, oportebat sine dubio ad illum effectum esse vespertinam: nam matutina cognitione non distinguebatur lapis à Deo, siquidem creatura prout in Deo, cognoscebatur habere vitam Dei, quod nihil aliud est, quam cognosci ipsam diuinam essentiam in se, quæ omni rerum ars, & idea est. Oportebat igitur esse aliam cognitionem, qua lapis cognosceretur in se ipso secundum suam formalem rationem non habens vitam.

Huc etiam spectat id, quod dicit Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 34. de Angelo cognoscente creaturas matutina, & vespertina notitia, inquit enim: Cum simul vniuersam creaturam, sicut simul facta est, & in primis, atque incommutabilibus rationibus, per quas condita est, contempleretur, propter diem, & in eius ipsius natura cognosceretur propter vespem, & creatorem ex ipsa etiam inferiore cognitione propter mane laudaret: quibus verbis Aug. distinguit vespertinam cognitionem, & matutinam circa ipsas creaturas diuerso modo cognititas. Matutinam enim vocat, quam habet Angelus de creaturis, prout sunt in ipsis rationibus æternis Dei: sic autem sunt ipse Deus, vespertinam vero, quatenus eas cognoscit secundum proprias ipsarum naturas. Quod si creaturæ cognite in Deo, viderentur secundum proprias rationes formales iam cognoscerentur in propria natura, & frustra poneretur vespertina illa cognitio ab Aug. circa creaturas cognititas in propria natura.

Valquez in 1. part. Tomus 1.

Contra hanc posteriorem partem nostræ sententiæ videtur esse idemmet Aug. aliquibus in locis, in primis lib. 9. de ciuit. Dei, c. 22. & 13. confess. c. 15. vbi docet, in verbo Dei ab Angelis beatis cognosci temporalia hæc, & mutabilia: & ideo certius ab eis cognosci, quam à demonibus, quia (vt ait Aug. ibidem) Eorum principales causas in verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus, quibus causis quedam probantur, quedam reprobantur, cuncta ordinantur. Demones autem non æternas temporum causas, & quodammodo cardinales in Desapientia contemplantur. Vbi Aug. plane loquitur de cognitione creaturarum in verbo secundum proprias ipsarum rationes creatas, secundum quas à demonibus cognoscuntur. Sic etiam Isid. lib. de summo bono, seu sententiarum, c. 12. Isidori sententia 17. de Angelis ait, in verbo Dei cognoscere omnia, antequam in re fiant, &c.

Respondeo in primis, nec Aug. nec Isid. illis locis appellasse cognitionem matutinam eam, quæ dicuntur res creatæ in verbo videri secundum proprias rationes: quo pacto autem illis locis Aug. & Isid. non sentiant, creaturas cognosci eadem visionem cum verbo, & ex vi illius, iam à nobis supra explicatum est c. 7. præcedentis quæst. ergo vbi cumque Aug. visionem creaturarum in verbo appellat matutinam, & visionem essentia Dei, & eam distinguit à cognitione earum in seipsis, quam vespertinam appellat, dicimus, explicandum esse, vt supra notauimus.

Secundo obijcere quis posset eundem Augustinum, qui non solum ponit duas illas cognitiones, matutinam videlicet, & vespertinam, sed etiam tertiam addit, quam appellat diem: hanc vero inquit esse ipsius essentia diuinæ: ergo matutina debet esse creaturarum. Sic habet 4. de Genes. c. 20. Respondeo, verum esse, hæc tria ibi enumerari ab Augustino, & diem accipi pro contemplatione diuinæ essentia: sed dico diem, atque mane, vel partem illam diei, quæ est ante vespem, pro eodem vlturari. Præter diem autem, & vespem iterum resumat mane, vt ostendat, quomodo pro sequenti die post vespem redeat lux, quæ & sequens dies incipiat, & ita post primum, secundus numeretur. Assignat vero hunc ordinem: primum ponit diem, deinde vespem, postremo mane, quatenus mens Angelica ex cognitione creaturarum, quæ erat vespere diei, assurgit in laudem Dei, & in eo iterum videt pro alio opere faciendi ipsam Dei artem, & ideam, & inde incipit mane sequentis diei. Quocirca idem Aug. lib. 11. de ciuit. Dei, cap. 7. postquam dixit scientiam de creatura comparatione scientia, quam de Deo habent Angeli, quodam modo vespescere: subiungit: eam scientiam lucefcere, & fieri mane, cum ipsa creatura referretur ad laudem, & dilectionem creatori: intelligit vero fieri mane sequentis diei, vt à nobis explicatum est. Itaque vnum diem non diuidit in tria illa: nam mane, quod post diem, & vespem ponit, non pro præcedenti, sed pro sequenti die numerat: alioqui primum deberet ponere mane, deinde diem, postremo vespem. Quare lib. illo 4. c. 23. inquit, cognitionem creaturarum in verbo, quam passim in eo libro vocat mane, ad diem pertinere: creaturarum vero in se

Augustin.

19

Exponuntur.

Secundo obij-
citur ex Au-
gustino.

Respondetur.

Quomodo
distinguat.
August. diem
vesperum,
& mane.

21

Z 2 ipsi

ipsis ad vesperum. Hec dicta sunt pro explicanda mente Aug. non solum, vt eum intelligamus, sed etiam, vt appareat, quonā fundamento inter Scholasticos introducta fuerit hæc doctrina de cognitione creaturarum in verbo, & quam debile argumentum contra sententiam, quam præcedenti dispur. secuti sumus, ex verbis Aug. desumi possit.

Bernardi
mens aperitur.

Supereſt, vt de B. r. n. quem etiam superiori disp. cap. 3. pro sententia opposita Thomistarum adduximus, aliquid dicamus. Et mea quidem sententia eod. m. modo, quo Auguſt. vt pote in eius doctrina apprimè verſatus, loquitur: de ipsis nempe creaturis non ſecundum proprias rationes formales, ſed quatenus in Deo exiſtere dicuntur, & eſſe ipſe Deus, ſeu vita Dei, vt à nobis explicatum eſt: & in hunc ſenſum dixit Bern. de Beatis, vident verbum, & in verbo facta per verbum: quod vt melius ex ipſo Bernardo poſſimus colligere, ſubijciamus, quæ ſcribit Explicans igitur illud ad Rom. inuifiſibilia Dei, &c. ſic ait: Sane hæc ſcala ſcilicet creaturarum) ciues non egent, ſed exules, quod vidit huius ſententia auctor qui cum diceret inuifiſibilia per viſibilia conſpici ſignanter poſſuit, à creatura mundi. Et verè quid opus eſt ſcalis tenenti iam ſolum? Creatura celi illa eſt preſſo, habens per quod potius iſta intueatur: videt verbum, & in verbo facta per verbum, nec opus habet ex his quæ facta ſunt, factoris notitiam mendicare: neque enim vt ipſa nouerit, ad ipſa deſcendit: quæ ibi illa videt, vbi longe melius ſunt, quam in ſe ipſis. Hæc enī Bern. In cuius verbis obſeruanda in eſt primum, cum dicit creaturas in verbo melius eſſe, quam in ſe ipſis, ex quo videtur colligere eadem viſione verbum, & ipſas in eo videri, alludere ad modum philoſophandi Aug. de quo præcedenti cap. ſatis dictum eſt, quo res creatæ dicuntur eſſe melius in Deo, quam in ſe ipſis: quia in Deo non ſunt obnoxie corruptioni, & omnes viuunt, vita Dei, aliter vero in ſe ipſis: eo quod creaturæ in Deo intelligi Bern. ſicut & Aug. non ipſas obiectiue exiſtentes in mente ipſius ſecundum proprias ſuas rationes formales, ſic enim etiam corruptioni obnoxie ſunt, neque viuunt vita Dei, ſiquidem obſcurentur intelleui diuino, vt in ſe ſunt corruptibiles, & aliquæ etiam inanimatæ; ſed intelligi ipſam artem, & ideam creaturarum, quæ ſunt ipſe Deus, ratione quarum melius dicitur creatura eſſe in Deo, quam in ſe ipſa: quo pacto loquitur Aug. vt in c. præced. diximus.

Expenditur
ſecundo.

Deinde cum dicit Bernardus, vt Beatus creatura cognoſcat, non deſcendere ad ipſa, quia ea intuetur in Deo, vbi melius ſunt, plane indicat, ea non cognoſci ſecundum proprias rationes formales creatas, ſed ſecundum quod ſunt ipſa ars, & idea Dei. Si enim de ipsis ſecundum rationes proprias creatas intelligeret, dicere debebat, Beatos à cognitione eſſentia Dei ad cognitionem creaturarum deſcendere, ſicut rursus à cognitione ipſarum ad cognitionem Dei viator aſcendit, à ſuperiori namque cognitione, ſcilicet eſſentia Dei, ad notionem creaturarum, quæ inferior eſt, tranſire, deſcendens quidam eſt: ergo cum dicat, ibi non eſſe deſcenſum, intelligit, ideo non eſſe, quia dum beatus creaturas videt in Deo, videt ipſum Deum, & cum ipſum videt, tenet ſolum, & in eo permanet, quia creaturas in Deo cognoſcit, vt ſunt ipſe Deus, non ſecundum rationes proprias, & formales ipſarum.

An ſit dogma fidei, Deum à nulla creatura etiam beata comprehendi.

Quid apud Auguſtinum, & alios Patres dicatur comprehenſio. cap. 1.

Quid de comprehenſione Dei Scriptura doceat, cap. 2.

Quid ſentiant Latini Patres de hac re, cap. 3.

Quid de comprehenſione Dei colligi poſſit ex Græcis Patribus, cap. 4.

Quid apud Auguſtinum, & alios Patres dicatur comprehenſio.

Cum ex communi modo loquendi Scripturæ, Patrum, & Conciliorum colligere debeamus, quid in hac re de fide certum ſit: placuit varijs comprehenſionis definitionibus, quas S. ſcholastici tradunt, in ſequente diſp. reſeruat. tam ſolum in medium proferre, quæ Sanctis Patribus probata eſt. Quam vt Aug. ſolita ſui ingenij perſpicuitate nobis explicaret epiſt. 112. cap. 8. diſcrimen conſtituit inter vid. re rem aliquam, & ipſam comprehendere, his verbis: Aliud eſt videre, aliud eſt totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur, quod preſens vicinque ſentitur: totum autem comprehenditur videndo quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem: aut cuius fines circumſpicere poſſunt: ſicut te nihil lateat preſentis voluntatis tuæ: circumſpicere autem poteſt fines annuli tui. Exempli gratia, duo poſui. quorum alterum ad mentis obtutum, alterum ad corporales oculos pertinet. Eſt itaque comprehenſio viſio rei, cuius nihil lateat videntem: aut quæ non ſolum eſt titati m., ſed fines etiam, & extrema rei completur: denique quæ cognoſcitur tota res ipſa, & nihil eſt eius, quod non videatur. Hanc definitionem ſequitur Beda in illud. Ioan. 3. Videbimus eum ſicut eſt: colligitur etiam ex Nazianz. orat. 26 quæ eſt 4. de Theologia. nu. 66. Niceta, & ſello ibid. & Chryſ. ſt. homil. 5. de incomprehenſibili natura Dei: idcirco Aug. ſerm. 38. de verb. do. docet, oculo corporeo non poſſe corpus aliquod à nobis comprehendere, quia non poſſumus ipſum ſimul per omne m. ſui parte m., & extrema conſpicere. Nam ſi ex parte anteriori videmus, lateat poſterior: quod in omni corpore neceſſario eueniet. Id quod de a. uulo etiam dicendum eſt, quem tamen id. m. Auguſt. epiſt. 112. cap. 8. in exemplum nobis adduxit comprehenſionis: quia fines illius optime ſimul videri poſſunt. Sed iuxta illius doctrinam exemplum non exacte nobis rem explicat: nam ſi pars anterior videtur, poſterior videri non poteſt.

Ex eadem definitione colligit etiam Auguſt. 12. de ciuitate, cap. 18. infinitam rerum multitudinem, quam aſſerit à Deo cognoſci ſcientia Dei, qua comprehenditur, non poſſe eſſe infinitam. Reddiderat vero paulo ſuperius rationem his verbis: Quia quicquid ſcientia comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur. Quasi diceret, res, quæ ab aliquo comprehenditur, comprehenſione ipſa concluditur: ac proinde finiri debet: quia extra comprehenſionem aliquid illius eſſe nequit. Sic igitur ſi multitudo aliqua cognitione comprehenditur, cum intra illam tota eſſe debeat, ea etiam terminari, claudi, & finiri, neceſſe eſt: id quod exemplo corporeo, vnde ſumpta videtur metaphora, optime declaratur. Si enim ſphæra aliqua ma-

Multitudo
infinita re-
ſpectu com-
prehenſionis
Dei finitæ eſt.